

Alte Drucke

**DE VITA IV||VENTVTIS INSTI=||TVENDA, MORIBVS-||QVE
AC STVDIIS || CORRIGEN-||DIS, || Opuscula diuersorum
autorum perquam || erudita, quæ uersa pagina ...**

Gryphius, Sebastianus

Lugduni, 1541

QVO PACTO INGENVI ADOLESCENTES FORMANDI SINT.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150956

QVO PACTO

INGENVI ADOLESCENTES
FORMANDI SINT.

GEROLDO MEIER ADOLE-

scenti optimo Christianus Theodidactus gra-
tiam & pacem à Deo, & domino
nostro Iesu Christo.



V V M te nuper à thermis redeuntem læ-
ti omnes excipiunt, alijs; alijs te muneri-
bus honorare certant, visus sum ipse mihi
prorsus incivilis futurus, si te non quali-
cunq; dono afficerem Gerolde adolescēs suavisime, præ-
sertim cum mos iste lauantes honorandi sit vulgo inter
amicos receptus: inter quos te duplici nomine censemus,
& quòd literis operam feliciter nauas, & quòd sub 10-
annis nostri signis meres. Cumq; diutius apud me quæ-
rerem, quid nam tibi possit esse gratissimū, inuenio tandē
aut sanctum, aut doctū, aut utrunq; esse oportere, quod
tibi placere cupiat. Nam ut natura uideris ad pietatem,
uirtutemq; natus esse, ita urbanitatis ac elegantie fru-
ctus, præcoces quidem illos, sed cō gratiores, sponte iam
nunc præbes. Docta autem, perlustrata quāuis diligenter
omni supellectile, cum præstare nulla uia possemus, reli-
quum erat, ut pijs quibusdam ac ad salutem, tum animi,
tum corporis uirtutemq; conducibilibus te demerere-
mur. Olim itaq; cum consilium, quemadmodū ingenuos

E 2 insti

instituire adolescentes oporteat, condendi libellum cepimus, propositumq; ut est presentium reru status, uarij tumultus morati sint, subueniebat tamen anxie minus deligenti, in animum, capti olim consilij mentio. Et quamuis plerosq; uideam sollicitos esse, ut absolutu laborem digno alicui patrono nuncupent, nobis tamen contra euenit: nam cui nuncupari oportet, presto est, sed deest otium, nouemq; illi anni, quibus premi oportet opus. Quapropter inter ista duo incommoda, quod ad te aliquid omnino misitandu est, & quod occupationes istuc, ut digne fiat, haud permittunt: inueni, quo in presentia utriq; nostrum satis fieret: Furatus sum ipse mihi tantum tempusculi, ut tumultuarie preceptiones pauculas congefferim: & certe in uniuersum paucas esse oportet, sed probe expensas, ne copia fastidium pariat: ita enim fere comparatum est, ut quae parcius propinentur, auidius hauriantur. Quas tu non ab ornatu aestimabis, sed a sensu, & ab animo a quo profectae sunt. Pia enim sancte polliceri possumus, si sumus ipsi non impij. Docta promittere, etiam si sis ipso doctissimus, pudor est. Habent primae preceptiones, quemadmodum sit tener ingenui hominis animus, in his quae ad deum attinent, imbuendus. Secundae, quemadmodum in his quae ad se. Tertiae, quemadmodum in his quae ad alios spectant. Neq; hic propositum est a cunis ordiri, sed neq; a rudimentis: uerum ab ea aetate quae iam sapere, ac sine cortice natum incipit: in qua etiam num ipse degis. Has tu diligenter, ut spero, leges, teq; in ipsas transfigurabis, ut alijs quoq; uiuum specimem exhibeas. Id sūxit CHRISTVS Opt. Max. Amen.

Prima

PRIMARVM PRAECEPTIO-
NVN APHORISMI.

NTE omnia, cum non sit humana-
rum uirium cuiusquam pectus ad fidem
unius Dei pertrahere, etiam si quis Pe-
tricum suadendo superet, sed coelestis
tantummodo patris, qui nos ad se tra-

Ioan. 6. Nemo
potest uenire ad
me, nisi pater, q
miserit me, traxe-
rit eum.

Rom. 10.

hit, adhuc tamen iuxta uerbum Apostoli: fides ex audi-
tione est, modo auditio sit uerbum CHRISTI: non her-
cle, quod ipsa uerbi praedicatio tantum polleat, ni spiri-
tus intus canens moueat. Ideo uerbis purissimis instillan-
da est, oreq; Dei uisatissimis, fides: iungenda simul pre-
ces ad eum, qui solus fideles facit, ut quem nos docemus
uero, ipse ad flatu suo illuminet.

Nec fortasse alienum fuerit ab instituto CHRISTI,
si in agnitionem Dei etiam per uisibilia adducamus: Pu-
ta, si uniuersam mundi molem ante oculos aduocemus,
singula digito monstrantes esse mutationi obnoxia, sed
immutati immoti q; esse oportere eum, qui omnia cum ta-
uaria sint, tam firma, mirabilq; concordia conciliauit.

Rursus cum qui tanta solertia cuncta disposuit, ne su-
spicandum quidem esse, negligentem operis sui futurum,
cum inter mortales uitio uertatur, si quis rei domesticæ
parum diligens fuerit.

Hinc discet ille noster, Dei prouidentiam res omneis
curantem, omnia disponentem, omnia seruantem. Nam
duorum passerum, qui asse parati sunt, alter ne in terram Matt. 10.
modo nobis decidit citra eius consilium: quæ pilos quoque

capitis nostri numeravit, nihil prorsus hac cura uilescēs.

Quo manifestū sit, eam nō modo quibus anima, sed ea
 Psal. 146 quoq; quibus corpus eget, destinare: cū coruos uideamus
 Matth. 6 tam liberaliter ab ea excipi, lilia uerō tā splendide uestiri.

Haecenus de diuina prouidentia recte imbuta mens,
 fieri non potest, ut unquam anxia fiat, aut sordide cupi-
 da. Quem adfectum, si in ipsa herba reciderimus, iam
 nocentissima peste mentem liberauimus.

Sciet enim deum non solummodo dominum, sed &
 patrem esse omnium in se credentium, hoc est, fidentiu:
 cupereq; ut ad se p implorāda ope haud segnius adcur-
 ramus, quā ad parentem qui genuit, proprijsq; uerbis
 opem pollicitum, quōd orari nimirum amct.

Proinde si aegritudo uel animi uel corporis adfligit,
 medelam ab illo impetrandam: si urget hostis, si degra-
 uat inuidia, ad eum confugiendum: si sapientiam, si eru-
 ditionem adfectamus, apud hunc ambiendas, imō coniu-
 gem quoq; & liberos hinc petendos esse.

Res & honores si paulo uberius adfluant, ab eo pe-
 tendum, ne animum his emolliri patiatur, inq; transuer-
 sum abduci.

Quid multa? in uniuersum omnia sciet hinc esse petē-
 da, nefasq; putabit, quicquā ab illo petere, quod ei prae-
 stare indecorū esset: pudebitq; tandē quicquā uel cupere
 uel habere, quod per Deū non licet, & eas res unice cō-
 parabit ac reponet, quae uere beatos reddunt. Euangelij
 mysterium hac uia capiet, statum primi hominis ante o-
 mnia resciet, nēpe ut is sit morte mortuus, postea quā
 praeceptum Dei prauaricatus esset, ut suo facinore poste-
 ritatē

ritatem omnem uitiarit: mortui enim uiuos generare nequeunt: nec Aethiopē uidimus unquā apud Britannos natum: unde hic noster suum quoque morbum agnosceret.

Agnosceret hinc quoque si sciat, ut omnia ex adfectibus *ἐκ τῶν παθῶν* geramus nos, Deus autem, ut sit ab eis alienissimus. Ex quo indubie sequitur, nos quoque alienissimos esse oportere, si cum deo habitare cupiemus. Ut enim innocentissimus quisque, nihil commertij cum flagitiosissimis habet, atque diuerso iustum ferre nequit iniussimus (Nerones enim ut Senecas duci iubent, ita ē diuerso Ennios cum Scipionibus idem tumultus tegit) sic cum Deo quoque non alius habitabit, quam qui incedit sine macula: & sanctus est quemadmodum ipse sanctus est, cordis mundicia præditus. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum uidebunt.

Psal. 14.

Matth. 5

Tantam autem innocentiam qua ratione parabimus, qui adfectibus impurissimis undique septi sumus? Hic inter malleum & incudem positi, cum Deus tantam innocentiam exigit, nos aliud uitati præstare non possumus quam uitium, uelimus, nolumus, Deo manus dare cogimur, & eius gratiæ permittere: Hic euangelij lux oritur. His angustiis inclusos CHRISTVS exiuit, qui nos longe melius quam ullus Iuppiter seruator liberauit, conscientiam desperationi proximam ante omnia erigens, ac mox certissima spe sibi iunctam, felicē reddens. Ipse enim ab omni labe quorumcunque uitiosorum adfectuum cum sit alienissimus, de spiritu enim sancto conceptus, exque uirgine illibata genitus est: primū, ut liberaret, hanc innocentiam suam pro nobis exposuit: nam labores &

Ro. 8. Nā uelle adiacet mihi: p
ficere autē bonū nō inuenio
Nō enim quod uolo bonū, hoc facio: sed quod nolo malū, hoc ago.

dolores nostros ipse uere tulit: post, eos qui hoc incon-
cussè credunt, beatos efficit.

Qui enim hanc liberalem condonationem credide-
rit, à deo per CHRISTVM misero mortalium generi
præstitam, saluus erit, & coheres CHRISTI factus,
apud patrem in æternum letabitur. Vult enim ille, ut ubi
ipse sit, illic sit & minister suus.

CHRISTI innocentia pro reis, imò damnatis ex-
posita nos absoluit, ac deo dignos hac potissimum causa
reddit, quòd ipse modum & mensuram diuinæ iustitiæ
adimplere potuit: alienissimus enim erat à corruptis ad-
fectibus: Cumq; talis, tantusq; sit, nempe deus, noster
tamen factus est. Ex quo sequitur, qua una caremus, iu-
stitiam quoque suam nostram esse factam. Ipse enim fa-
ctus est nobis à deo, sapientia, iustitia, sanctificatio, &
redemptio.

1. Cor. 1.

Rom. 5. Iam per ipsum accessum habemus ad deum, noster
enim est, pignus gratiæ dei est, aduocatus, uas, præ, in-
tercessor, mediator, prora & pupis est, & c.

Qui hætenus euangelij mysterium tenent, eoq; fi-
dunt, ex deo nati sunt: nã humanæ imbecillitatis captus,
tam profundum gratiæ dei consilium non adsequitur.

Hinc fluit, ut qui per euangelium renati sunt, nō pec-
cent: omnis enim qui natus est ex deo, non peccat: at qui
credit euangelio, ex deo natus est: non ergo peccant qui
per euangelium renati sunt, id est, peccata eis ad damna-
tionem ac mortē non imputantur, quòd ea CHRISTVS
precio mortis suæ redemit.

Nam & si ipsi, dum in hoc corpore peregrinamur
à do

à domino, sine adfectibus esse non possumus, & hinc etiam non sine peccato: CHRISTVS tamen, quoniam noster est, omnem hanc impotentiam sarcit. Aeternus enim deus, ac spiritus cum sit, preciosior est ad omnium hominum flagitia redimenda, quam ipsa commereri possint.

Quæ quidem fiducia non segnes reddit, sed accingit & urget ad recte gerendū rem, non enim ab homine nata est: qui enim fieri posset ut humana mens, quæ à sensibus, ferè pendet, tota in id incumberet, quod sensu nullo pacto percipitur: sed à Deo. Nunc, ubi Deus operatur, caue anxius sis quomodo recte gerantur.

Deus enim, ut est Endelechia, quæ immota cuncta uersat & mouet, eum etiam, cuius pectus ad se traxerit, desidere non patietur. Quæ quidem sententia probationibus non constat, sed usu: soli enim fideles experiuntur quàm nihil ocij det suis CHRISTVS, quàmque hilariter in negotio eius iucundèq; uersentur.

Quisquis igitur Euangelij mysterium capit, recte uiuere conatur: quamobrem tradi oportet, quoad fieri potest, mundissime ac diligentissime.

Iam hoc quoque tempestiue tradendum est, quibus nam officijs Deum maxime demereamur, eis nimirum quibus ipse nunquam non erga nos utitur, Iustitia, Fide, Misericordia. Deus enim cum sit spiritus, non alia quàm spiritali deditæ mētis hostia coli recte potest. Huc igitur aciem dirigat adolescēs, ut mature bonum uirum meditetur, qui sit innocentissimus, ac deo quàm simillimus. Is prodest omnibus, nocet nemini, ni quis sibi ipsi

E 3 prius

prius nocuerit: sic, qui omnibus prodesse, omnibus omnia fieri studet, ac omni prorsus iniuria manū abstinet, Deo similimus est. Ardua sunt hæc si uires nostras spectes, sed credenti omnia sunt possibilia.

SECUNDARVM PRÆCEPTIO-
NUM APHORISMI.



OSTEA quàm animus solidae uirtuti destinādus per fidem recte formatus fuerit, proximum est, ut se totum intus belle adornet & componat: nam si apud se recte comparata sunt omnia, facile alijs recte consulet.

Linguae. Rectius autem animū componere non poterit, quàm si uerbum Dei nocturna manu diurnaq; uerset. Id autem commode faciet, si linguas, Hebraicā & Græcam probe calleat: quòd sine altera uetus instrumentum, sine altera nouum pure capi difficulter possit.

Latina. Quoniam uerò istos docere suscepimus, qui iam prima rudimenta exantlarunt, latināq; passim apud omnes obtinuit, deferendam omnino non censemus: nam & si ad sacrarum literarum intellectionē minus faciat, quàm uel Græca, uel Hebraica, ad reliquum tamen uitæ usum haud mediocriter proderit. Vsuuenit etiam aliquando, ut apud Latinos quoq; CHRISTI negotium agere cogamur. At linguis ad quæstum abuti, id uerò à Christiano homine debet alienissimum esse: Sunt enim lingue diuini

diuini spiritus donum.

Proxima ab ista, cui operam demus, erit Græca, pro- Græca.
pter nouum instrumentum ut dictum est: nam ut pace
omnium dicam quod sentio, doctrinam CHRISTIAM
inde ab exordio uideo minus digne tractatam à Latinis
hominibus, quàm à Græcis. Ad fontes igitur hic noster
mittendus est.

Quamquam in utraq; istud obseruandum est, ut fide
innocentiâq; pectus præmunitum habeat: sunt enim
haud parum multa quæ perniciose discerentur, petulan-
tia, imperâdi belligerandiq; libido, uafricies, inanis phi-
losophia, & similia, quæ tamen omnia præmonita mens
instar Vlyssis intacta præterire poterit, cum scilicet ad
primam uocem sic se admonuerit, hæc audis ut caueas,
non ut capias. Hebraicæ ultimum hac potissimum Hebraicæ.
causa damus, quòd, ut paulo ante dictum est, Latina a-
pud omnes inoleuit, & eâ opportunissime Græca sequi-
tur, alioqui Hebraicæ merito primas tribuissimus, quòd
sine huius schematis, apud Græcos etiam, multis in lo-
cis sudet, quisquis germanum scripturæ sensum eruere
uelit. De linguarum utilitate ad saturitatem dicere, non
est huius propositi.

His armis ad sapientiam istam coelestem, cui humana
nulla comparari, nedum æquiparari iure debet, irrupere
poterit, quisquis humili sitibundaq; mente accedit.

Quo cum irruerit, omnigenas recte uiuendi formas
inueniet, nempe CHRISTVM absolutissimum omnis
uirtutis exemplar: quem ubi ex dictis factisq; planè co-
gnouerit, ita amplectetur, ut in omni uel actione, uel
consilio

consilio, partem aliquam uirtutum ipsius exprimere, quoad humanae tenuitati fas est, conetur.

Tempestiue ab eo, & loqui & tacere discet: pudebit immature de his loqui, quæ maturrimos requirunt, quod

LUC. 2. CHRISTVM uideat anno uix tandem tricesimo re-
posuisse: quamuis duodecimo quoque anno periculum
sui legisperitis dederit. Quo nos exemplo non tam do-
cemur cito prodire, quàm à teneris res magnas, sed deo
dignas, moliri.

Silentii pue Nam ut fœmina summum per omnem uitam orna-
ros & mu- mentum est silentium, ita adolescentem nihil commen-
lieresdecere. dabiliorē facit, quàm ad certum tempus silentij stu-
dium, donec & mens & lingua, tam scorsim quàm in-
ter se probe constant. Neque hic Pythagoricum silen-
tium exigimus, sed loquendi cupiditatem premimus:
Ac nisi tempestiue loquuturus sit adolescēs, loqui omni-
no uetamus.

Eloquentia dum apud præceptores meditatur, non
deformabit ad horum exemplum, si quid uitij habeat.
Neque id præcepti leuis momenti quis putet, nam uete-
rum quoque memoria proditum est, auditores quos-
dam non modo linguae præceptorum uitia, sed corporis
quoque imitatos esse.

Linguae uitia Vitia linguae cuiq; obuium est cognoscere, orationis
autem habitus, tum præter artificium, de quo hic dicen-
di locus non est, uitiosus est, si nimis celeriter aut tarde
nimis incedat oratio, si accentus sit nimis humilis, &
languens, aut uehemens nimis, si in quauis causa & ge-
nere quolibet idem sit oris habitus, eademq; hypocri-
sis, ut

sis, ut uocant, uel gesticulatio insolens.

Elephantos obseruatum est anxie solos, pro quibus uapulassent, meditados esse: sic adolescens crebro secum meditabitur, ut sit os compositurus, ut manus prolaturus, ut eis uerecunde, quod oportet, indicaturus, non remigaturus. Atque hæc omnia ita moderabitur, ut ueritati seruiant, non ut alijs lenocinentur. Nam meretrici quorundam mores, ut ferri à Christiano pectore possent unde isto exercitio, quod hic requirimus, non aliud intendimus, quam ut quisq; apud se exterioribus uitijs imperare discat, quæ uitiosæ mentis haud incertissima signa sunt. Hanc igitur primum integram esse oportet, quæ ubi fuerit, facile tempestatem exteriorum membrorum moderabitur, ne aut immodice frontem contrahamus, aut os transformemus, aut caput concutiamus, aut manus dissipemus, sed inadfectata, rustica, & simplici quadam modestia hæc omnia temperemus. Hæc de oratione & silentio.

Gestus moderandi.

Vini saturitatem æque ac cicutam fugiet: nam se Ebrictas succundum hoc, quod iuuenile corpus, quod suapte sponte ad uehementiam procliuum est, ad insaniam adigit, senectam etiam adhuc dubie nos expectantem, in herbauitat: quo fit, ut cum fors ad eam uentum sit, morbum non requiem reperiāmus. Fieri enim non potest, ut qui se impensius uino proluere consueuerit, ut non in aliquem fonticum morbum tandem incidat, ut est epilepticus, paralyticus, hydropicus, elephanticus, & consimiles. Quapropter mature fias senex, si uis diu esse senex.

Reli

Vicius ratio. Reliquus uictus parabilis esto: nam quid adolescenti, cuius stomachus natura expeditus est ad perfectionē, cū perdicibus, turdis, ficedulis, capis, capreis, ac id genus lauticijs? quin eos dentibus tandem obtusis, palato detrito, gula diuturno usu callosa, stomacho iam segni, corpori senimortuo utendos reponit? Nam fouendi senij, quæ spes erit, si, quorum cupidum est, lasciuia iuuentus per intemperantiam fâsidiosa fecerit?

Fames interim uincenda modo est, non perfliganda: nam Galenum perhibent annos centum uiginti uiuixisse, quod à tabula nunquam satur abierit. Neq; hic exigo, ut fame teipsum conficias, sed ne supra quam usus uitæ postulat, implacabili uoracitati seruias: nō enim ignoro, facile peccari posse in utraq; partem, si uel in lupos uoracitate abeamus, uel fame inutiles nos reddiderimus.

**Vestium
luxus.**

Nihil esse stolidius autumo, quàm uestium precio claritatem ambire, cum hoc pacto pontificie quoq; mulæ claræ fieri possent, ac celebres: ut enim robustæ sunt, plus auri, argenti, gēmarumq; ferre possent, quàm ullus Milo. Quem uerò ambitiosi uestitus non pudeat, qui filium dei ac uirginis audiat in præsepi uagitus suos edere, tot solummodo fascijs inuolutum, quot uirguncula ad partum imparata secum gestabat?

Peregrinas aut nouas uestium figuras, qui quotidie producunt, inconstantissimæ, uel si id nimis est, effœminatæ mentis aut teneræ certissimū signum dant, CHRISTIANI non sunt. Nam egenos interea frigore perire sinunt ex fame. Vnde à uestium luxu tam est temperandum, quàm à quauis mali specie.

Amare

Amare dum incipit adolescens, animi sui tyrocinium exhibere debet: ac dum alij uiribus & armis per tumultum lacertos suos explorant, hic noster omne robur huc uertet, ut se ab amoris insania tucatur: cumq; amandum prorsus esse uiderit, caucat ne depereat, sed talem eligat ad amorem, cuius se firre mores in perpetuo matrimonio posse confidat: eiq; congressum suum usq; ad connubium tam illibate custodiat, ut præter hanc ex omni mulierum uirginumq; corona nullam nouerit.

Pecunia gloriæq; cupiditatem quid hic uctare adinet, cum apud Gentiles quoq; malum istud male audiat? & hic noster non sit Christianus futurus, si ei seruiat, quæ non unum & alterum pessundedit, sed florentissima regna euertit, urbes potentissimas excidit, rem quancunq; publicam inuasit, funditus perdidit. Hæc ubi arcem mentis occupauerit, nihil recte geri permittit: nocentissima pestis est, sed heu potens: quam per solum Christum iugulabimus, si assidui æmulatores eius fuerimus: is enim quid aliud hic egit, quàm huic malo mederi?

Auaritia

Mathematicas disciplinas, quibus Musicen quoque Discipline connumerant, non leuiter, tametsi perfunctorie, attinendas esse putamus: ut enim cognitæ magno sunt usui, cæ. neglectæ uerò impedimento haud mediocri: ita si quis in eis consenscat, nihil aliud emolumenti reportabit, quàm ij, qui ne otio pereant, deambulando subinde locum mutant.

Palæstram non usque adeo damnamus, aliter tamen pronuntiaturi, si non uideremus quosdam prædiuites constanter ab eo labore, qui communem uitam

uitam

uitam iuuat. Christiani tamen hominis fuerit ab armis
 prorsus abstinere, quoad per reipublicæ statum & tran-
 quillitatem licet. Nam deus qui David armorum rudem
 2.Rcg.17. contra Goliath funda proficiscentem uictorem reduxit,
 & inermes Israelitas ab imminente hoste seruauit, nos
 etiam indubie seruabit: aut si aliter ei uisum erit, dexte-
 ras armabit: ipse enim docet manus nostras ad prælium.
 Psal.17. At si omnino statutum est palæstram quoque experiri,
 hic unicus sit scopus, ut patriam uelimus, ac eos quos
 Deus iubet, tueri.

Velim itaque cunctos, præcipue tamen eos, qui offi-
 cio uerbi Dei destinandi sunt, non aliter putare, quam
 quod una solaq; priscorum Masiliensium ciuitate po-
 tiri queant, qui neminem in ciuium numerum cense-
 bant, qui nihil artificij nosset, quo uictum pararet: hoc
 enim pacto fieret, ut otium omnis lasciuite seminarium
 exularet, & corpora nostra longe salubriora, diutura-
 niora, robustioraq; euaderent.

PRAECEPTIONVM VLTIMARVM
 APHORISMI.



PRINCIPIO ita secū reputabit in-
 genua mens: CHRISTVS sese pro nobis
 exposuit, nosterq; factus est, ita & te o-
 portet omnibus expositum esse, non te
 tuum putare, sed aliorū: nō enim ut no-
 bis uiuamus nati sumus, sed ut omnibus omnia fiamus.
 Solas igitur, iustitiam, fidem, constantiam, & teneris
 medita

meditabitur, quibus Reipubl. Christianæ, quibus patriæ, quibus sigillatim omnibus sit profuturus. Languidæ mētes sunt, quæ hoc solummodo spectant, ut sibi tranquilla uita contingat: nec deo tam similes, atq; eæ, quæ omnibus suo etiam cum periculo prodesse student.

Hic tamen prouide custodiendum erit, ne quod ad gloriam dei, patriæ, omniumq; utilitatem suscipitur propositum, à diabolo aut philautia uitietur, ut quod aliorum gratia suscepisse uideri uolumus, ad nos tandem trahamus: multos enim uidere licet, qui ab initio recta feliciter incedunt, post pauca uerò à uana gloria omnium bonorum consiliorum peste in transuersum aguntur.

In secundis & aduersis aliorum, non aliter se geret, quàm si sibi ipsi accidissent: si alij secunda euenierint, si bi euenisse putabit, æque si aduersa. Rem etenim publicam unam, ueluti domum ac familiam, existimabit, imò unum corpus, in quo membra ita simul gaudent, moerent, ac se mutuo iuuant, ut quicquid uni acciderit, omnibus acciderit.

Ad hunc modum gaudebit cum gaudentibus, flebit cum flentibus, omnium enim euentus suos putabit. Adde quòd iuxta Senecæ uerbum cuius potest contingere quod cuiquam.

Neque hos adfectus, gaudium & moerorem, ita præstandos esse docemus, ut uulgo mos est: non enim uolumus, ut secundis rebus exultemus, & aduersis deffereamus, sed posteaquam sine his alijsq; adfectibus nunquam sumus: ita, si sapiamus, temperemus, ut à decòro nusquam recedamus. Gaudebimus ergo de aliorum felicitate

F te æque

te æque ac de nostra, nec aliter contristabimur: hoc est, moderate omnia feremus.

A congressi- Ab his cœtibus quò uel promiscue uel publice con-
bus publicis uenitur, quales sunt propinquoru nuptiæ, & annui tum
non abhor- ludi tum feriæ, non sollicitè arceo: quòd CHRISTVM
rendum. uideam nuptiarum aliquando partem non ingratiſſimam
Ioan. 2. fuisse. Magis enim nobis probatur, si quod omnino fie-
 ri oportet, in publico fiat, quàm si in angulis aut ganeis:
 testium enim multitudo quosdam uehementius terret,
 quàm propria mens: & omnino deploratus erit, quem
 publice indecòre se gerere non puduerit.

Ex publicis congressibus semper aliquid boni auferre
 contendet, ne quemadmodum Socrates querebatur, sem-
 per deterior domum redeat. Obseruabit, si quis in publi-
 co uerecunde se gerat, & imitabitur: si contra impuden-
 ter, despuet.

Hoc autem cum ægre qui maturrimi sunt prestare
 possint, suadeo quàm rarissime fieri potest in publicos
 cœtus coire: & si omnino insaniam sociare oportet,
 mox nos ipsos repetamus: desertioni facile prætexitur
 causa, cui adquiescant ij, qui nos bonis studijs semper
 intentos esse norunt.

In rebus asperis laxis frenis adcurrere decet: hic pri-
 mum postremumq; esse præclarum est, hic tendi nerui
 debent, considerari malum, tractari, amoueri, consilium
 dari.

Parctum re- Parentes secundum immortalem Deum summo in
uerentia. precio habendos esse, apud infideles quoque receptum
 est. His igitur ubique cedendum est. Et si quando se non
 ex sen

ex sententia CHRISTI, quæ & nostra est, gerunt, non est importune illis oblectandum, sed quod dictum factum ue oportet cum mansuetudine summa proponendum: quod si recipere nolunt, potius deserendi sunt, quam contumelia adficiendi.

Iram ex calida causa nasci perhibent Physici: cumq; hæc ætas sit calidissima, diligenter ab illa cauendum est, ne quicquam ex eius impulsu uel dicamus uel agamus. Suspectum esse debet quicquid in mentem uenit, hoc adfectu feruente.

Calumnia, si deuorare præ amaritudine prorsus non Calumnia non possumus, ad iudicem aut magistratum referri oportet: regerenda, nam conuitium pro conuitio reddere, & contumeliam regerere in eum qui dedit, aliud non est, quam talem fieri, qualis is est quem damnas.

Lusus cum æqualibus suo tempore permittimus, Lusus docti, sed doctos tantum, & ad corporis exercitium utiles. Docti sunt, certare numeris, quod Arithmetice docet: aut locationibus, quod laterunculorum excursiones & cunctamina, stationes quoque & insidiæ. Is enim ludus præ omnibus docet, ne quid temere suscipiatur: modus tamen interim in eo seruandus est: fuerunt enim qui posthabitis serijs huic uni hærent. Subcisiuis tantum horis hæc obiter tractanda permittimus. Talorum tabularumq; quas chartas uocant ludos, his νόπαιας relegamus.

Corpus exercebunt, cursus, saltus, discus, palæstra, lusus Exercitatio etia (qua uerò parcius utendum est, nam sæpe in serium corporis abijt) lusus apud omnes ferè gentes usitati, sed apud

maiores nostros, Heluctios dico, usitatissimi, & in uarios euentus utilissimi. Natationes paucis uideo esse proficuas, tametsi nonnunquam iuuat membra in flumen suspendere, piscemq; fieri: utiles tamen ad quosdam aliquando casus fuisse. natauit ex Capitolio qui Camillo nunciaret miserabilem auaræ Romæ statum. Chlœlia membrorum remigio ad suos remeauit.

Conuersatio uniuersa simul & oratio talis sit, ut eos, quibus cum uiuimus, iuuent.

Alium si obiurgare oportet, tam cordate, tam salse, tamq; festiuiter id fiat & consulte, ut uitium prope-llamus; hominem autem lucrifaciamus, arctiusq; nobis iungamus.

Studium ue-
ritatis.

Veritatis studium tam constans & unicum esse oportet, ut semper tum nostrum tum aliorum sermonem ita expendamus, ne quid doli commentiue admixtum habeat: debetq; bona mens non alia sibi causa magis displicere, quam si uel inuitæ solummodo quiddam mendacij excidisse deprehenderit: taceo quanto illam deceat pudore confundi, si se tam leuem ac uanam inuenerit, ut uel ipsa cudat, uel ab alijs cusa reddat. Veritatem enim quisq; cum proximo loqui iubetur. CHRISTVS ueritas est. Christianum igitur oportet ueritatis esse tenacissimum. Vir duplici animo inconstans est in omnibus uijs suis. Nihil tutò ei committi potest, qui lingua uariat, Oratio cordis est nuncius: proinde si hæc fuerit uana, mendax, inconstans, certissimum signum est peccatus onge peius habere. Adde quòd mendacium aliquandiu, sed perpetuo latere non potest: Vnde stultum

tum fuerit malitiam domesticam latendi spe, uel alere uel solari.

Quod de ueritatis studio diximus, in actionibus cunctis obseruandum est, ne scilicet fiste quicquam agamus, ne frons, ne oculi alios se esse mentiantur quam cor ipsum quod actionum omnium fons est.

Incessus quoque ascitus, argumenti satis præbet, qualis uir sit, qui aliter incedit atque ingenium flagitat: nempe uanus et mente prostibulari.

Quid multa: huc omne studium accelerandum est ut CHRISTVM adolescens quam purissime hauriat: quo hausto, ipse sibi regula erit. Recte faciendo nunquam concidet, nunquam extolletur, augefcet quotidie, sed sibi decrefcere semper uidebitur: promouebit, at postremum se esse ducet omnium: bonum erga omnes operabitur, sed non imputabit quicquam: sic enim CHRISTVS fecit. Absolutus igitur erit, qui CHRISTVM unice statuerit æmulari.

Hæc sunt elegantissime Gerolde, quæ ad educandos ingenuos adolescentes profutura duximus, quamuis ita sint confuse tradita, ut ne indicari quidem opus fuerit: oculis enim omnium facile patet. Tu uero ista tecum sæpe uoluta: et quod hic calamo rudi delineatum uides, moribus exprime: ita enim fiet, ut quæ hic ordine fermè nullo effusa sunt, tute factis in ordinem pulcherrimum cogas, et huius formulæ spirans ac uiuum exemplar fias. Quin constantius dicam, fieri nequit, ut non aliquando absolutior euadas, quam nos uerbis adsequi potuimus, si modo neruos omneis instanter intendas: id

F 3 quod

quod supra modum proderit ad propellendum otium:
 quo quidam ex recepta, sed pessima, consuetudine usque
 adeo impudenter in ipso uitæ limine torpent, ut uidean-
 tur non aliud fieri cupere, quam fuci & uitiorum o-
 mnium lerna. Tibi autem utendum est (ut ille inquit)
 ætate: cito pede labitur ætas. Nec bona tam sequitur,
 quam bona prima fuit. CHRISTIANI HOMINIS
 est non de dogmatis magnifice loqui, sed cum Deo ar-
 dua semper ac magna facere. Perge igitur optime ado-
 lescens, genus, formam, patrimonium, quæ tibi omnia ma-
 gnifica contigerunt, hisce ueris ornamentis clariora red-
 dere: minus dixi, sola ista ornamenta putare, illa uero
 fortune esse cognoscere, Deo Opt. Max. duce, qui te
 incolumen seruet. Amen.

FINIS.